

Meritū
auget tē
ratio.

timus, quia à nobis seruari non possūt. Nonō meritum augmentat dum enim tentationi ad peccatum trahere conantur propter Deum resistimus, ne vincamur, merita cumulamus. Vnde 2. Cor. 4. Licet is, qui foris est, noster homo corumpatur scilicet in tentationibus, tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem scilicet per meritum accumulationem. Ideō sequitur. Id enim quod in præsentī est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modū in sublimitate æternum gloriæ pond⁹ operatur in nobis. Decimō mundi voluptates calcatur. De hoc 23. moral. sic ait Greg. Cum flagellis atterimur, malis increpantius monemur ne mundo blandiente seducamur. Flagella, dum nos tentant, surgentes in corde huius mundi voluptates eradicant. Nam per ferientia flagella cognoscimus, quid de hoc mundo sentiamus, atq; comprimimur nequid extrinsecus appetamus. Vndecimō à peccatis purgat, ne damnationem incidat, vt apostolus 1. Cor. 11. ait: Dum à domino iudicamur, cor ripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Et ne post mortem oporteat grauius, ac diutius in purgatorio purgari. Ideo dicitur Apoca. 3. Ego, quos amo, arguo, & castigo. Duodecimō gloriam confert. Siquidem nemo coronabitur, nisi qui legitime certauerit 2. Timoth. 2. Et beatus Iacobus inquit: Beatus vir, qui fufferit tentationem, quia cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se. Nisi enim has, & innumeras alias afferret tentatio vtilitates, non dominus sibi dilectissimos tot exposuisset aduersitatibus, ita vt apostolus dicat 2. Tim. 3. Omnes, qui volunt piè viuere in Xpo Iesu, persecutionē patiūtur &c.

DOMINICA III.
post octauam Epiph. Sermo
II. in ordine. XVII.

QVID timidi estis modicæ fidei?
Matth. 8.

Multiplicem timorem nobis scriptura commemorat, alterum assumendum, & alterum relinquendum. Est. n. timor bonus, & laudabilis, timere Deū & cauere eius offensam qui fundamentum est totius christianæ religionis sicut in psalmus dicitur: Initium sapientiæ timor domini. Ad quem assumendum Salo. hortatur Eccle. vlt. longam totius libelli illius disputationem ita concludens: Finem inquit, loquēdi omnes pariter audiimus. Deum time, & mandata eius obserua, hoc est, omnis homo. Est nihilominus timor mundanus, ac carnalis, quo mundi aduersitas, & ea, quæ corpori sunt pœnalia, timentur, propter quæ ne sustineantur, sepe Deus offenditur. Hic malus est, & omnimodis abiiciendus, sicut scriptum est: Non timebo, quid faciat mihi caro. ps. 55. De vtroq; loquitur dominus Mat. 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt, sed potius eum timete qui potest & corpus, & animam perdere in gehennam. Primus timor est eorum, qui fortes in fide in domino confidunt. Secundus verò carnalium est, & infirmorum, modicam adhuc de æternis fidem habentium, quorum typum gesserūt apostoli qui cum domino in nauicula constituti, maris pericula timuerunt, & saluato rem, atq; vitam præsentem habentes, de morte solliciti erant. Quare hoc? quia adhuc paruuli erant, vt Orige. ait: Adhuc infirmi, nondum robusti, vrupta quos nedum domini passio, & resurrectio, non ascensio in excelis, non missio spiritus paraclēti de cœlis confirmauit. Ideoque merito suam increpationem à Deo audierunt: Quid timidi estis modicæ fidei? De quib⁹ pro gratia Aue Maria. Recitetur primò euangelium.

In hoc euangelio tria nobis dominus figuratiter designauit. Primum est futura ecclesiæ suæ tribulatio. Secundū fidelium in tribulatione comprehensorum doctrinalis directio. Tertium, in se confidentium plena liberatio.

Tribulatio multiplex futura in ecclesia.

De duplici timore.